

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0936
	0934
	0940
	0930
363	
funes circumduximus et tapetiis et linteaminibus appensis quasi capellam fecimus et ita accensis cereis et ostio curiae obserato Officium dominicale celebravimus cum pace, quiete et devo- tione. Et ut nullus intra Missarum solemnia ad ostium pulsaret, locavimus ante ostium Elphahallo Sarracenum, qui pulsare vo- lentes prohibebat usque post Missam. Sicque singulis diebus sine impedimento celebravimus, demto impedimento vesparum; nam in pariete erat foramen prope altare, de quo exibant et intrabant vespae innumerabiles magnae quantitatis et cele- brantem pisando circumvolabant, et si foramen obstruere vo- lebamus, offendebantur et iratae alia foramina fecerunt, quia paries erat luteus et cum majori periculo et impetu et multi- tudine eruperunt. Conabamur multis modis extirpare et exstinguere aviculas istas, sed non potuimus, nisi totum pa- rietem deposuissemus. Et quamvis continue circumvolarent nos, nullus tamquam aculeo alicujus punctus fuit.	0945 0925 0985 0885 1035 0835 0435
Tres eramus sacerdotes, scilicet Pater Paulus, Ordinis Mi- norum, et dominus Johannes, archidiaconus Transsilvaniensis et Frater Felix Ordinis Praedicatorum et ita ordinavimus, quod quasi omni die Missam habuimus. Igitur Missa audita pransi sumus et post prandium factus est magnus ad nos concursus juvenum et puerorum. Quidam autem Sarracenus juvenis associavit se uni militi de sociis nostris et petivit ab eo flasconem suam vacuam, promittens ei, quod reportaret vino plenam. Miles flasconem tradidit, cum qua juvenis abiit; cum admiratione autem juvenem exspectavimus, scientes, apud Sarracenos non esse vinum. Igitur juvenis ivit et nescio quo in loco vinum nomine nostro postulavit et obtinuit, mox autem, ut vinum accepit, gustavit et allectus ejus dulcedine totam flasconem ebibit, quasi duas mensuras Ulmenses, et ineptius fuit et perdita ratione insanire coepit et per vicos cucurrit, clamans et cum lapidibus projiciens. Servi autem praefecti, missi ad capiendum eum, sequebantur furentem. Hoc cum vidisset, non fatuo consilio cucurrit ad curiam nostram, tam- quam ad locum refugii et libertatis; si quidem statutum Soldani est, quod ubicumque morantur transmarini peregrini, ibi est asylum, i. e. locus refugii, nec potest refugiens inde tolli. Mansit ergo juvenis nobiscum usque ad vini digestionem. Praefectus	Ende Anfang